Quelle: https://manuscripta.at/?ID=908
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

volumus. ab illo sumit initium
firmitas virtutum: a quo ipsam
accepimus voluntatem. Deus
est enim sicut apostolus ait qui
operatur in nobis et velle.
et perficere pro bona volun
tate. Nec superbia itaque
homo inflatur. nec de
speratione frangetur: si
bonis divinitus datis
in gloriam dantis utatur
et ab his desideria sua re
moveat que sibi nocitura co
gnoscit. Abstinens enim
ab invidie malignitate.
a luxurie dissolutione. a per
turbatione iracundie. a cupi
ditate vindicte: purificabi
tur veri sanctificatione ieiunii.
et incorruptibilium deliciarum
voluptate pascetur: ut
per usum spiritualem etiam ter
renas copias in celestem
noverit transferre substan
ciam. non sibi condendo
que acceperit. sed magis ma
gisque multiplicando quod
dederit. Unde paterne cari
tatis affectu dilectionem
vestram monemus. ut ie
iunium decimi mensis
fructuosum vobis elemo
sinarum largitate faciatis:
gaudentes quod per vos
dominus pauperes suos pa
scit et vestit. quibus utique
posset eas quas vobis con
tulit tribuere facultates:
nisi per ineffabilem miseri
cordiam suam et illos iusti
ficare vellet de pacientia la
boris. et vos de opere cari
tatis. Quarta igitur et
sexta sabbati ieiunemus.
sabbato apud beatissimum
petrum apostolum vigilias ce
lebremus: qui et orationes
et ieiunia et elemosinas
nostras precibus suis dignabitur
adiuvare. Per dominum nostrum Iesum
Christum qui cum patre et spiritu sancto. Sermo leonis
pape de adventu.

Residia
dilissimi sanc
tificandis
mentibus